

Zeitgenössischer Kommentar

- [1. V. 1–7] Incipe Calliope. In hoc poemate Eneas Silvius alloquitur Calliopem, que fuit mater Orphei poete primi. Interpretatur autem Calliope, id est vox bona¹, quia poetam bonam vocem habere oportet in componendis versibus. Conqueritur autem Eneas, quod ipsa
- 5 Calliope Musa in hoc tempore non sibi faveat, ut possit aliquid de Friderico rege Romanorum scribere. Interrogat itaque Musam, qualis etas futura sit sub imperio Friderici, quoniam Enee videtur iam finem instare tribulationum^a, que nunc vigent, secundum quod astra videntur portendere.
- 10 [2. V. 8–50] Tum sic arridens, scilicet respondit Calliope. Hic inducitur Calliope respondens Enee dicens veram esse opinionem eius, quod finis tribulationum^b instet, et hoc probat ex eo, quia a patre suo Apolline id^c ita audierat nuper, cum fuisset in monte Parnaso cum aliis Musis, et narrat, quomodo ipsa Calliope veniens de partibus inferioribus² interfuerat coronationi regis Friderici et deinde iverit ad montem
- 15 Parnasi, ubi interrogata fuerat, unde veniret et quare tam diu fuisset absens, et ponit responsionem suam, quam fecit patri suo Apollini.
- [3. V. 11–12] Cirria^d Tempe. Loca delectabilia. Sciendum est montem Parnasi consecratum Musis, id est scientiis^{e3}, et maxime poetarum, in Boetia^f fuisse habuisseque duos colles, quorum alter Nisa dictus est
- 20 Bacho sacer, alter Cirria Phebo deputatus, ibique lacus et fontes sunt, ex quibus potantes fieri poete dicebantur.
- [4. V. 12] Pegasea flumina. Pegasus equus fuit alatus, qui in monte Parnasi ungula sua percutiens lapidem exire aquam fecit, unde factus
- 25 est fons Castalius, de quo futuri poete bibere studebant, et inde fluvius

a) tabulacionum KN.
ita nachgetragen K.

b) tabulacionum KN.
d) curia KMN.

c) id *über dem folgenden*
e) sanctus M. f) so KMN,
gemeint ist Boeotia.

1) *Ähnliche Etymologien in Glossen zu Martianus Capella, De nuptiis Mercurii et Philologiae*; vgl. Christopher McDONOUGH, Trier, Bibliothek des Priesterseminars Ms. 100 and the Text of Martianus Capella, *Mediaeval Studies* 36 (1974) S. 56–66, hier S. 58: Caliopea grece quasi callion fone, id est bona vox; est enim mater Orphei.

2) Vgl. Caesar, *De bello Gallico* 1: Belgae ... pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; siehe auch unten §9.

3) *Die Deutung der Musen als Wissensbereiche (scientiae) vgl. bei Fulgentius, Mitologiae* 1,15, in: *Fabii Planciadis Fulgentii Opera*, hg. von Rudolf HELM (1898) S. 25, und *Mythographus Vaticanus* II 34, in: *Mythographi Vaticani I et II*, hg. von Péter KULCSÁR (CC 91C, 1987) S. 121.